

mas in 4. Sent. dist. 15. quæst. 3. art. 4. q. 3. inquit: *Cum Ecclesia instituit certum tempus comedendi à jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit; non quidem quoad substantiam (cum enim, ut dictum est, hora non sit de essentia jejunii, sed mera circumstantia, & conditio, ejusdem mutatio jejunii substantiam non destruit; ut patet ex ipsamet pluries facta horæ variatione in Ecclesia, secundum diversitatem temporum), sed quoad complexum eorum omnium, quæ ad perfectam jejunii observantiam requiruntur, inter quæ etiam hora præscripta enumeratur, sicuti enumeratur inter requisita ad perfectam recitationem Officii, quamvis non spectet ad hujus essentiam. Ratio sec. par. est, quia licet tempus refectionis sumenda sit unum ex præscriptis à præcepto jejunii; tamen præscribitur, & à jejunio importatur, non tamquam essentia, aut pars essentiæ, prout importantur unica comestio, & abstinencia à carnibus, sed ut mera conditio, & circumstantia accidentalis, quæ variari potest, manente jejunii substantia, prout pluries in Ecclesia, juxta dicta, variata est. Unde respicit jejunium per accidens. Et quamvis dicta anticipatio aliquid minuat de jejunii austeritate, & carnis mortificatione; tamen ista diminutio non est gravis, immo compensatur per diuturniorem temporis subsequentis, ut passim monent DD. ad dentes, eandem anticipationem excusari etiam à veniali, si fiat ad evitandum aliquod grave, ac notabile incommodum, sive corporale, sive civile, sive temporale, quod aliter evitari nequeat à jejunante. Cunigliati de Præc. Eccl. cap. 1. §. 2. num. 3. Giribaldus de Jejun. Eccl. dub. 7. num. 62. alii- que comm.*

### MENSE APRILIS.

CAS. I. **O**B rationabile motivum dispensatus est Titius, ut possit in Quadragesima comedere ova, & lacticia. Q. an huic licitum sit etiam in vespertina refectione comedere parum casei?

Resp. neg. cum enim Summus Pontifex Benedictus Papa XIV. per quemdam Confessarium fuerit supplicatus, ut explicaret, an iis, qui in Quadragesima, & Vigiliis sunt dispensati ad lacticia, revera liceret sumere in serotina refectione parum casei: Pontifex supplicationem transmisit ad S. Pœnitentiariam, quæ sic rescripsit: *Sacra Pœnitentiaria, optima conscientia mentis Sanctitatis suæ, ex speciali auctoritate ejusdem respondet, non licere; rationem afferens, quod illud jejunantes, expressum in Bulla Libertissime ejusdem Summi Pontificis, ubi dictum fuit dispensatos ad carnes, vel lacticia, opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur omnes jejunantes recte meticolosæ conscientia, intelligitur de rigore jejunantibus Quadragesimali jejunio, in quo tam carnes, quam ova, & lacticia vetantur. Cumque dein subortum fuerit dubium, an illud optime conscientia mentis &c. S. Pœnitentiaria dixerit ex sua interpretatione, vel ex proprio oraculo Pontificis, idem Confessarius Papam iterum supplicavit, ut ipsemet mentem suam explicaret; atque hoc venit responsum: *Sacra Pœnitentiaria de mandato Sanctissimi Domini, qui suis ipse oculis retrospectam epistolam dignatus est legere, respondit, vera esse, &**

pro

*pro veris habenda, quæ constat ab eadem Pœnitentiaria fuisse rescripta. Dat. Romæ in S. Pœnitent. die 23. Julii 1756. Cujus rescriptum authenticum nedum observasse, verum & apud se habere, refert P. Alphonsus de Ligorio lib. 3. tract. 6. cap. 3. dub. 1. num. 127. subdens hujusmodi declarationem promulgatione non indigere, ut obliget, eo quia & facta est ab ipsomet Legislatore, & totus sensus ejusdem jam inest in lege, ab eodem lata V. ipsum Alphonsum ibid.*

CAS. III. Cum in hac Dicecesi sit reservatus casus Parochi cum Parochiana. Q. primo, an Parochus incidat in reservationem, si rem habeat cum ruri degente per duos, aut tres menses, recreationis gratia; vel etiam cum vaga, quæ degit in Parochia per unicam noctem. II. An dicta reservatio afficiat Parochum, electum tantum; aut qui Curam regit cum solis Provisionalibus.

Resp. ad primum, non incidere in reservationem ob rem habitam cum ruri degente, bene vero ob rem habitam cum vaga. Ratio pr. part. est, quia semel ac illa ruri degit per duos, aut tres menses, meræ recreationis gratia, proprie non est ejus Parochiana, cum ipsa in tali Parochia nec habeat domicilium, nec quasi domicilium, & per consequens neque ipse possit ejus Matrimonio valide assistere, ut pluries declaravit S. Concilii Congreg. teste SS. D. N. Benedicto Papa XIV. Notif. 13. tom. 2. num. 7. & 11. quæ inter Instit. latin. est 33. Ratio secundæ partis est, quia respective ad foeminam vagam, ipse est ejus Parochus quousque ipsa degit, ac versatur in ejus Parochia: siquidem Parochus vagorum, est Parochus loci, in quo hi actu degunt, prout tradit, tamquam regulam certam, præfatus Sanctissimus in citat. Notif. n. 10. ac docent Sanchez de Matrimonio lib. 3. disp. 25. num. 11. Barbosa, Pirhingius, Cabasurius, alique, propterea dicentes, Parochum loci, post adhibitam diligentem inquisitionem quoad statum liberum, ac obtenta prius licentia Ordinarii, valide posse assistere Matrimoniis vagorum, qui sunt in sua Parœcia, uti etiam colligitur in Tridentino sess. 24. cap. 7. Sed si prima non est ejus Parochiana, bene vero secunda, Parochus non incidit in reservationem ob rem habitam cum prima ruri degente &c. bene vero ob rem habitam cum vaga, quæ degit in Parochia per unicam noctem, eo quia Casus est reservatus cum Parochiana, ergo &c.

Resp. ad II. Dictam reservationem non afficere Parochum electum tantum, bene vero illum, qui, post legitimæ Collationis acceptationem, Curam gerit cum solis Provisionalibus. Ratio primi est, quia per puram electionem ad Beneficium, super hoc non acquiritur jus in re, sed ulterius requiritur, saltem legitimæ Collationis ejusdem acceptatio, cap. *Si tibi absenti de Præbend. in 6.* immo ex hujus Civitatis, ac Dicecesis consuetudine (quæ uti monuimus anno proxime elapso ad III. Januarii, hic debet observari) recenter electo in Parochum nulla competit administratio, nullumque exercitium Curæ, ante apprehensionem possessionis Beneficii saltem cum Provisionalibus, nec valide assistit Matrimoniis, eo quia hic nullo modo habetur ut Parochus. Quare cum adhuc sit Parochus in fieri, & nondum in facto esse, ipsum non afficit dicta

Ggg 2

re

reservatio: hæc enim utpote odiosa, intelligitur de Parocho in facto esse. Ratio secundi est, quia missus in possessione Parœciæ de Mandato, & cum Provisionalibus Eminentissimi Archiepiscopi, est vere Parochus, communiter habetur, ut Parochus, habetque omnes honores, & onera Parochorum. Et quamvis intra quatuor menses debeat obtinere Litteras Apostolicas, novamque Provisionem, alias iterum vacet Beneficium, tamen non ideo hoc est, quia ante obtentionem hujusmodi Litterarum, novamque Provisionem, nondum sit Parochus: sed quia indulto concesso Eminentissimo Collatori solet uniri Decretum de obtinendis præfatis litteris, novaque Provisione: quod Decretum alias inficit titulum, ac possessionem, ut declaravit Rota Romana in Ulysiponensi Beneficii 19. Decemb. 1619. coram Ubaldo: vel quia invaluit consuetudo ut intra tantum temporis obtineantur eæ Litteræ, novaque Provisio, sub vacationis pœna: quam ob rem notat Gonzalez gloss. 15. num. 120. Beneficium in tali casu non vacare ut prius: sed propter non expeditionem induci novam vacationem. Cæterum cum regens, electus modo prædicto ad Beneficium, ac gerens curam cum Provisionalibus, sit vere Parochus, dicendum, quod si is peccet, copula saltem incompleta, cum Parochiana, ipsum utique afficiat Reservatio.

CAS. III. Relinquit Sempronius 1000. aureos hæredi suo, ut eis fundum constituat pro stipendio Missæ quotidianæ. Hiæ autem invenit Communitatem Religiosam, quæ acceptis 800. in se talis Missæ onus suscipit, sibi que retinet alios 200. Q. an licite.

Resp. negando; eo quia *ultima voluntas Defuncti omnibus modis observari debet can. ultima voluntas 13. quæst. 2. ac pro lege habenda est, Auth. de Nupt. §. disponat;* ipse enim erat, uti supponitur, sui, ac rerum suarum dominator, & arbiter: unde summa 1000. aureorum, ab ipso relicta pro fundo stipendii Missæ quotidianæ, in casu habetur ut posita in Testamento taxative, utpote determinatè assignata, ac relicta in tali determinata quantitate pro constitutione hujuscæ fundi. Propterea hæres nihil ab ea detrahere potest, sive titulo industriæ, sive alio quovis titulo specioso, qui realiter sapit potius affectum avaritiæ, ac turpe lucrum, prout in casu consimili, quoad Missas manuales, inquirunt Constitutiones Urbani VIII. aliorumque Romanorum Pontificum. Accedit, majus stipendium pro Missis etiam conferre ad majus Testatoris suffragium, ut docet Franciscus Lugo de Sacram. lib. 5. cap. 12. quæst. 5. num. 50. ac fieri posse, quod Testator tantum reliquerit, eo quia processu temporis fructus talis summæ (sive hæc collocetur in prædiis, sive in locis montium, sive &c.) decrescant, & sic voluit, in facti occurrence, adhuc remanere stipendium congruum: quæ intentio non adeo facile implebitur detractis bis centum aureis. Ergo hæres in casu licite hos sibi non retinet. Neque dicas, ad unguem adhuc impleri Testatoris voluntatem, statim ac Religiosa Communitas assumit sibi onus Missæ quotidianæ pro aureis 800. Id enim est falsum, cum sic Missæ non celebrentur ad rationem eleemosynæ relictae à Testatore, nec præcaveatur dictum periculum, nempe quod pro his amplius non ha-

habeatur in posterum stipendium congruum. Nec repetas, Communitatem Religiosam libere cedere juri majori quantitatibus. Siquidem in primis valde probabile est, quod ideo cedat, quia timet secus nihil habere, nec facile est invenire tot alias eleemosynas. Deinde sicuri Sacerdos qui alteri Missam celebrandam committit, nequit sibi retinere partem eleemosynæ, quam habuit pro tali Missa, quamvis in se suscipiens hujusmodi onus, consentiat in hanc retentionem, ut patet ex Constitut. *Quanta Cura.* edita à Santissimo D. N. Benedicto Papa XIV. die 1. Junii 1741. ita idem videtur dicendum de hærede quoad retentionem partis summæ, relictae à Testatore pro constituendo fundo Missæ quotidianæ; hujus enim voluntas, expressa in Testamento, hæc est, quod assumens onus Missæ quotidianæ à se relictae, fruatur fructibus fundi aureorum 1000. & non 800. tantum, quemadmodum voluntas ejus, qui in primo casu dedit eleemosynam pinguem pro Missa; ista est, quod ea tota, ac integra fruatur qui celebrat eandem Missam.

### MENSE MAII.

CAS. I. Titius die festo ex legitima causa nequit audire Missam. Q. an teneatur hanc supplere aliis precibus; an vero sufficiat ad sanctificationem Festi, quod absteat ab operibus servilibus.

Resp. Titium non teneri aliis precibus Missam supplere, ac non sufficere ad Festi sanctificationem, quod absteat ab operibus servilibus. Ratio primæ partis est, quia auditio Missæ in die festo est de mero præcepto Ecclesiæ, quæ cum nullibi præcipiat istud supplementum cum aliis precibus, in casu Missæ non auditæ, ideo, non est, cur Titio imponatur hujuscæ supplementi obligatio. Ratio secundæ partis est, quia Ecclesia, sive in transferenda sanctificatione à die Sabbati in diem Dominicum, aliosque festos dies, postmodum à se institutos, sive in præcipienda in his auditione Missæ, de medio non sustulit præceptum naturale quandoque colendi Deum, neque Divinum mandatum, quo Deus in Decalogo præceperat, indefinite quidem, ac indeterminate, cultum etiam externum à nobis ipsi præstandum per dictam sanctificationem; nec definivit, eundem cultum adæquate consistere in Missæ auditione, ac abstinentia ab operibus servilibus. Propterea ad hoc, ut Titius debito modo Festum sanctificet, debet positive aliquid facere in cultum, & obsequium Dei, si non ex vi Præcepti Ecclesiæ, saltem, ut exequatur præceptum naturale, ac divinum. Nec sufficit, quod absteat à dictis operibus; etiam cum intentione præstandi cultum Deo per hujusmodi abstinentiam; siquidem in tantum opera servilia vetita sunt in die festo, in quantum impediunt applicationem hominis ad Divina, ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 3. Unde S. Augustinus serm. 251. de temp. ad rem loquens, dicebat: *Videamus, ne otium nostrum vanum sit, sed à vespere diei Sabbati usque ad vespem diei Domini, sequestrati à tali opere, & ab omni negotio, soli Divino cultui vacemus. . . . Veniat ergo, cuicumque possibile sit, ad vespertinam, atque nocturnam celebrationem, &*

oret ibi cum conventu Ecclesie pro peccatis suis Deum. Qui vero hoc non potest (en Casus noster) saltem in domo sua oret, & non negligat Deo solvere votum, ac reddere pensum servitutis: quæ verba, cum sint expositio, ac declaratio divini præcepti, ibi facta à Sancto Doctore, intelligenda non sunt per modum consilii, sed quatenus, quæ præceptum ipsum imponit, patet faciunt.

CAS. II. Sponso de futuro, frequenter lapsa cum Sponsa in actus inhonestos, statuit Confessarius suspendere Absolutionem; ast quia hic subdit, factam jam esse in Ecclesia duplicem denuntiationem pro Matrimonio cum ipsa inundo, eidem Absolutionem impendit. Q. an recte id peragat. Secundo, quoruplicis peccati sint rei Parentes, cum hac libertate solam linquentes filiam sponsam cum Sponso; & an ob id incurrant aliquam poenam.

Respondeo ad I. cum dist. Vel talia concurrunt in Sponso, ut Confessarius possit efformare iudicium prudens, quod ille vere doleat de præteritis, & usque ad celebrationem Matrimonii remotum sit periculum relapsus; & in tali casu dico, ipsum id recte peragere. Vel in prædicto non concurrunt talia, ut Confessarius prudenter possit hoc iudicium efformare; & tunc dico, ipsum id recte non peragere. Ratio primæ partis est, quia semel ac talia concurrunt in Pœnitente, ut Confessarius prudenter possit efformare hoc iudicium, quod Pœnitens vere doleat de præteritis, & per consequens non habeat amplius affectum ad peccatum, immo ipsum ex vero corde detestetur, ac periculum prius proximum relabendi, evaserit remotum; intervenit quidquid requiritur ad ipsum valide, ac licite absolvendum; & ideo ei in tali casu impertiendo Absolutionem, recte se gerit, præcipue cum sic eum non relinquat expositum periculo sacrilegii, quod secus facile committeret, contrahendo Matrimonium in statu peccati mortalis. Ratio secundæ partis est, quia non concurrentibus prædictis in Sponso, hic est indispositus ad Absolutionem, quæ propterea ei impertiri non potest. Nec refert in hoc casu, quod Pœnitens relinquatur in periculo novi Sacrilegii; nam in primis non est Confessarius, qui ipsum posuerit in tali periculo, sed est malitia ejusdem Sponsi, ac Sponsus ipse, qui noluit se rite disponere, immo posuit, & prosequitur ponere obicem, ne à tali periculo retrahatur per Absolutionem Sacramentalem. Deinde potest Sponsus ante celebrationem Matrimonii sibi consulere per actum Contritionis, uti suaderi solet iis, qui ex una parte soliti sunt delinquere, ex alia incurrunnt periculum gravis infamiae, vel scandali, ni accedant ad Eucharistiæ Sacramentum: siquidem si eliciat prius actum veræ Contritionis, consulit in eo casu sibi, ac reverentiæ Sacramenti Matrimonii, cum ad hoc, & alia Sacramenta (excepta Eucharistia) non sit necessaria Confessio, sed sufficiat Contritio, ut inter alios docet Giribaldus de Pœnit. cap. 4. dub. 3. num. 19.

Respondeo ad II. quoad primam partem, multiplicis peccati reos esse Parentes, qui naturali, ac divina lege posthabita, neglectoque præcepto tot Ecclesiasticis sanctionibus ipsis inculcato, de habenda sollicita cura filiorum, cum ea libertate solam relinquunt filiam sponsam cum Sponso; siquidem ultra generale inobedientiæ peccatum, quo delinquent contra omnes, & singulas prædictas leges, quoties advertenter id faciunt, peculiariter peccant con-

contra justitiam, contra charitatem, contra pietatem, & contra fidelitatem. Contra justitiam, quia tenentur ex officio impedire, cum possunt, malum spirituale filiorum. Contra charitatem, quæ idem obviari postulat; si enim charitas ad hoc urget nos erga proximum quemcumque, cum id facere possumus absque nostro gravi incommodo; à fortiori urget Parentes erga filios. Contra pietatem, nam si unitas sanguinis hac lege nos adstringit erga omnes consanguineos, ut omne malum, quod possumus, ab eis totis viribus arceamus, cur non adstringet Parentes ad arcendum à filiis omnium malorum gravissimum, nempe peccatum? Denique contra fidelitatem; filii namque, ac filiae sunt pignora quædam à Deo Parentum custodiæ commissa, ad quæ fideliter custodienda, ab ipsomet Matrimonii contractu, vel saltem cum à Deo illos exceperunt, ipsi se obligarunt, & propterea contra deficientes in hoc inquit Apostolus, 1. ad Timoth. v. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Quoad secundam partem postea dico, juxta postremam Diocesanam Synodum lib. 2. cap. 9. §. *caute*, Parentes incurrisse ipso facto Excommunicationem Eminentissimo Archiepiscopo reservatam, si Sponsis permiserint, ut solus cum sola cohabitarent in eodem cubiculo, vel domo; & assensu tacito, vel expresso indulserint, ut se invicem cognoscerent ante celebrationem Matrimonii (qua poena ibi quoque afficiuntur in casu iidem Sponsi); insuper mulctandi dicuntur iidem Parentes poena viginii aureorum, & aliis arbitrariis, ut videre est ibidem in eadem Synodo.

CAS. III. Aneps est Capellanus: I. An absolvi queat Puer, qui prima vice, confiterur, & aliam non exponit, nec habet materiam remotam, quam lethale dubium. II. An valida sit absolutio Pœnitentis, qui unice exponit peccatum, quod putat se commisisse, sed revera illud non commisit. III. An absolvi valeat Moribundus, existens in cubiculo ejusdem domus, contiguo illi, in quo reperitur Sacerdos, si alta voce absolutionem petat, ac rationabiliter timeatur decessurus antequam idem Sacerdos ad ipsum perveniat. IV. An Oleo sancto possit inungi Senex; qui, præ decrepita ætate, creditur in dies decessurus, si alia non sit affectus ægritudine. V. Denique an eodem Sacramento, ac Sacro Viatico muniri queat Puer septennis, existens in proximo mortis periculo: hinc quoad singula consulit Parochum. Attenditur Parochi responsio.

Respondet Parochus ad I. cum dist. Vel dubium quoad tale peccatum, est dubium juris, quatenus dubitatur, an peccatum ab eo commissum, ac expositum, mortale sit, an veniale; & tunc inquit, ipsum posse absolute absolvi; cum enim materia exposita certo sit saltem venialis, adeoque sufficiens pro Absolutione absoluta: ideo &c. Vel dubium quoad idem peccatum est dubium facti, quatenus dubitatur, an puer commiserit, necne, tale peccatum; & hoc in casu, inquit, Absolutione saltem absoluta, ipsum non posse absolvi; nam cum materia remota exposita, non sit certa, & aliam certam exponibilem supponatur non habere, defectu materie certæ, tum necessariæ, cum sufficientis, nequit Confessarius absolutam ei Absolutionem impendere; certum namque positivum iudicium efformari nequit de reatu peccati, ubi de hoc certe non constat. Dixi, non posse ei

impendere *Absolutionem absolutam* : an enim valide , ac licite possit eidem impendere *Absolutionem conditionate* : dico quod sic ; vel enim puer revera non peccavit , & tunc , cum Minister conditionate absolvens nihil in tali casu intendat conficere , Sacramentum non perficit , cujus propterea reverentia satis consultum ; & simul Minister iis , quibus vexabatur , relevatur angustiis , derelinquendo aliter pueri in periculo suae aeternae damnationis. Vel puer peccavit ; & tunc per eam *Absolutionem* hic manet absolutus , proindeque ab aeternae damnationis periculo ereptus , ad cuius amotionem in casu jus habet , cum ad hunc finem Christus Dominus hoc instituerit Sacramentum , & in nullo Rituali , Concilio , vel Canone damnetur , aut vituperetur in casu *Absolutio conditionata* ; immo in hac , & similibus circumstantiis , sit modus rationabilior , expeditior , & attentata Sacramenti Pœnitentiae institutione , ad remittenda peccata connaturalior : quam ob rem Confessarium in casu non solum posse , verum & positive teneri conditionate puerum absolvere , expresse tradunt Gormaz de Pœnit. disp. 3. sect. 3. num. 169. & Eusebius Amort. eod. tr. disp. 4. de Confess. quæst. 3. quæstiunc. 2. resp. 2. Ratio est , quia Puer tenetur de tali mortali dubio confiteri , cum dicat S. Thomas in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. ad 3. *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato , an sit mortale , tenetur illud confiteri dubitatione manente... periculo namque se committit qui de hoc , quod dubitat esse mortale , negligit confiteri.* Hinc cap. *Omnis utriusque sexus* non solum certa pro certis , sed etiam dubia pro dubiis dicuntur in Confessione exponenda. Ergo Confessarius tenetur illum absolvere , ne post Confessionem peccati non reservati expositum ipsum relinquat periculo aeternae damnationis. Sed nequit illum absolvere *absolutione absoluta* , prout supra dictum est : ergo debet eum absolvere *conditionate*. Et ratio fundamentalis est , quia licet huiusmodi mortale dubium non sit materia sufficiens pro *Absolutione impertienda absolute* ; est tamen materia sufficiens pro *Absolutione conditionata* ; cujus usum , interveniente rationabili motivo , illicitum non esse , nec novum , luculenter ostendit etiam Benedictus XIV. de Synodo Diœcesana libro 7. cap. 15. proindeque , si eveniat , aliam non posse exponi materiam certam , ut in casu , Pœnitens absque scrupulo est sub conditione absolvendus à lethali dubio : quod prælaudatus Amort cum aliis etiam ad casum extendit , quo Pœnitens , monitus ut addat peccatum certum , jam confessum , hic nolit ipsum addere : inquit enim etiam tunc eum esse absolvendum conditione mente retenta ; eo quia ad aliud addendum moneri quidem potest , sed non obligari ; & praxis contraria quorundam ad scrupulositatem pertinet. Vide ipsum Amort. loc. cit. *sup. mudo* .

Ad II. Resp. affirmare Vivam de Pœnit. disp. 4. quæst. 3. art. 3. aliosque , eo quia licet in huiusmodi Confessione non adsit vera materia remota , adest tamen vera materia proxima , nempe verus dolor ; & Confessio. Hinc sicuti , quando exponitur in Confessione peccatum alias jam rite confessum , ac remissum , valida est absolutio , ac recipitur gratia deletiva peccati , quamvis peccatum jam fuerit antea delerum ; ita &c. Ut enim validum sit Sacramentum , sufficit , quod habeat effectum in actu primo , nempe quod præbeat gratiam

tiam ex se remissivam peccati , quamvis per accidens in actu secundo peccatum non debeat : prout equidem in casu evenire dici potest. Subdit nihilominus , oppositum probabilius videri , eo quia ad veritatem Sacramenti Pœnitentiae etiam vera materia remota debet intervenire , ut colligitur ex eo , quod istud Sacramentum fuerit à Christo Domino institutum , non utcumque , sed per modum iudicii circa peccata actualia , post Baptismum , & si vis etiam in ipso actu Baptismi , commissa ut delenda , & destruenda. Porro revera tale non est peccatum mere putatum ; & sic neque verum in casu proprie conficitur Sacramentum. Nec tenet paritas de peccato alias remoto ; hoc enim vere fuit commissum , & ex quo fuerit commissum , & ex quo fuerit verè ommissum , semper retinet rationem veræ materiae remotæ , de qua doleamus , & quæ proinde millies exponi potest , ut ab ea absolvamur. Ab opposito peccatum mere putatum , cum revera commissum non sit , non habet rationem materiae remotæ veræ , sed tantum putatæ : unde ex se solo non sufficit , nisi ad Sacramentum putatum , etsi ob ejus apprehensionem teneatur Pœnitens illud fateri , si ipsum ut mortale apprehendat.

Ad III. responderi juxta plures absolvi posse : quia in tali casu non absolvitur absens ( quod certe fieri nequit , ac est damnatum à Clemente VIII. ) sed præsens cum moribundis per illam petitionem *Absolutionis* præsens fiat Sacerdoti , ipsius locutionem audienti ; qui propterea nedum valide , sed etiam licite , eum in casu absolvere potest. Ita Antonius à Spir. Sanct. tract. 5. disp. 2. sect. 1. contestans se opinionem hanc in praxim deduxisse , absolvendo de facto è proprio cubiculo alium Religiosum sui Ordinis in alio cubiculo existentem , Confessionemque petentem. Giribaldus de Pœnit. cap. 3. dub. 7. num. 44. & Pasqualigus , rem ex professo examinans in Theor. & Prax. quoad constitutos in mortis articulo , quæst. 159. per tot. ubi dictam præsentiam sic probat : *Illud dicitur præsens , quod se communicat in notitiam sensuum ; ut notat Glossa in Clement. Dudum v. presentari de Sepult. allegans l. 1. in it. ff. de Verb. oblig. & D. Thomam 1. part. quæst. 8. art. 3. in C. & ad 2. Et proinde ut quis sit præsens in ordine ad aliquem specialem effectum , sufficit si se communicet illi sensui , à quo dependet talis effectus ; nam tunc sensu percipitur præsentia , quo percipi debet propter effectum , pro quo requiritur. Sed in casu præsentia adest talis præsentia. Ergo &c. Min. prob. Præsentia requiritur in Sacramento Pœnitentiae in ordine ad accusationem , qua Pœnitens se accusat coram Sacerdote , atque ad locutionem ; & cum locutio respiciat auditum : sufficit illa præsentia , qua se possit communicare præsentia modo auditui , ita ut alloqui possit Sacerdotem , & Sacerdos ex vi alloquutionis possit percipere loquentem , nam cum locutio præsentialis sit , facit , ut præsentem , percipi loquentem. Ergo ipso , quod Pœnitens potest percipi sensu à Sacerdote tamquam loquens , & se accusans , habetur pro sufficienter præsentia in ordine ad Sacramentum Pœnitentiae. Quamquam vero isthæc opinio suo , ut patet , non destituatur fundamento , ejus tamen praxim nec exequerem , neque consulerem , nisi sub conditione eo quia est valde controversum , an illa communicatio in notitiam sensuum de se sufficiat ad inducendam præsentiam ; nec hanc semper inducit : sic licet Celebrans quandoque dicat Missam voce adeo alta , ut audiatur in vicinia , dormitorio , & coquina ; tamen est valde controversum ; an Missam audiens*

fenestra viciniæ, præcepto festi satisfaciatur; ut videri potest apud Rosignolum de Euchar. quæst. 8. art. 11. num. 11. & Giribald. in 3. Dec. c. 2. dub. 3. num. 2. & communiter negatur eidem satisfieri per auditionem in dormitorio, vel coquina. Ergo cum certum non sit, per dictam communicationem præsentiam induci; quinimo juxta Tamburinum, pluresque alios Theologos non rigidiores, pro Absolutione major requiratur propinquitas, quam pro audienda Missa, ut videre est apud de Ligorio lib. 6. tract. 4. cap. 1. dub. 1. n. 429. dicendum est, solum sub conditione posse in casu absolvi moribundum: quemadmodum etiam dicerent de naufragis sub ponte, absolutionem petentibus, non visis à Sacerdote super ipsum pontem existente.

Ad IV. respondet affirmative. Ratio est, quia jam tum cœperunt lethali morbo interius laborare, quo cito perducuntur ad mortem, quamvis exterius videantur sani, & incolomes: ipsa enim gravis, & annosa senectus, infirmitas est, quæ interiora vitæ organa labefactat, & mox ducit ad interitum; ut loquitur Benedictus Papa XIV. de Syn. Diœc. lib. 8. cap. 5. num. 2. Quamobrem hujusmodi senibus conceditur tale Sacramentum etiam à Concilio Mediolanensi IV. part. 2. & Aquensi anni 1585. ut ibidem adnotat idem Pontifex.

Ad V. & ultimum respondet, Puerum septennem muniri utique posse tum Oleo sancto, si sit doli, ac culpæ capax; cum Sacro Viatico, si eo poleat judicio, ut latentem sub speciebus Sacramentalibus Christum firmiter credat, ac reverenter adoret. Ratio primæ partis est, quia semel ac puer est capax mali, necnon effectus per tale Sacramentum causati, est etiam capax remedii, ac talis Sacramenti; tunc enim sicuti est capax Sacramenti Pœnitentiæ, ita & extremæ Unctionis, quæ est illius complementum; ut recte ait Benedictus XIV. cit. lib. 8. de Syn. Diœc. cap. 6. num. 2. ipsique competere possunt, ac in ipso verificari verba formæ, quod per Doctorem Angelicum in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 2. est veluti nota, ac discerniculum, an quis capax sit Sacramenti: *Nulli namque*, ibi inquit Sanct. Doctor, *debet dari Sacramentum, cui non competit forma Sacramenti*: Unde, à contrario sensu inferas, eum esse Sacramenti capax, cui competit aut competere potest forma Sacramenti. Sed quando puer septennis est doli, ac culpæ capax, tunc ipsi competit, aut competere potest forma sive Sacramenti pœnitentiæ, sive extremæ Unctionis, cum utrumque sit abstersivum, ac respective deletivum ejus, in quo deliquimus. Ergo & Hinc laudatus Pontifex loc. cit. approbat statutum à Cardinali de Rohan. in Synodo Argentinensi tit. de Extr. Unct. §. 2. pag. 174. ubi edicitur: *Non denegetur etiam pueris, si septimum attigerint annum, nec iis, in quibus malitia supplet ætatem, etiam si septenarii non sint;* & reprobatur Synodalem Constitutionem, à Germano Valente Guenllio, Episcopo Aurelianensi, anno 1587. promulgatam, in qua decernitur: *Non detur hoc Sacramentum pueris, qui nondum communicaverunt;* commendatque Pastorale Mechliniense, quod postquam retulit hæc Rituali Romani verba: *Non ministretur pueris, rationis usum non habentibus,* addit: *Secus de pueris periculose ægrotantibus, qui peccati mortalis, ac confessionis capaces sunt, licet sit solum octo aut novem annorum*

rum, & quamvis numquam communicaverint. Ratio postea sec. par. est, quia statim ac puer tali pollet cognitione, ac judicio, ut latentem sub speciebus sacramentalibus Christum firmiter credat, ac reverenter adoret, jam discernit panem cœlestem à terreno, & pro modulo suo concipit devotionem hujus Sacramenti: quod juxta S. Thomam, à nobis relatum in resp. ad tertiam Julii 1755. sufficit, ut per modum Viatici non solum ei ministrari possit, sed etiam ut non sit ei denegandum. Et Suarez, Cardinalis de Lugo, alique relati à Benedicto XIV. cit. lib. 8. cap. 12. num. 3. expresse docent, omnibus, qui sunt doli capaces, positus in vitæ discrimine, ex præcepto divino, esse porrigendum.

### MENSE JUNII.

CAS. I. Sacerdos fœtæ famulæ consulit procurationem abortus, ne detur crimen utriusque, ac ipse non impediretur ab assecutione Beneficii, quod, abortu secuto, revera fuit ipsi collatum. Q. primo, an, ultra reservationem, contraxerit aliquod impedimentum, & quid exprimentum, ut rite ab hoc dispenseretur. Secundo, an possit retinere Beneficium, ac fructus ex eo perceptos.

Respondeo ad I. quoad pr. part. Si abortus est fœtus animati, ut quæsitum supponit, Sacerdos, ultra reservationem cum excommunicatione Episcopo specialiter reservata, contraxit etiam irregularitatem propter homicidium, & quidem reservatam Summo Pontifici, etiamsi consilium ab eo famulæ datum, & abortus, sint occulta. Ratio desumitur ex Constit. *Effrenatam* Sixti V. quoad hoc nihil immutata à Gregorio XIV. ubi hæc omnia statuuntur contra eos, vel eas, qui, aut quæ dictum abortum vel causant, vel consulunt, vel alio modo scienter ad illum cooperantur, effectu secuto. Quoad sec. part. dico, quod si famula frerum conceperat ex ipso Sacerdote, debet hic exprimere in supplici libello, S. Pœnitentiariæ præsentato pro dispensatione super irregularitate ex abortu occulto, debet, inquam, exprimere, quod fœtus fuerit à se genitus: nam si foret à se genitus, & id non fuisset expressum, tunc, ex stilo S. Tribunalis, gratia esset subreptitia. Et de facto in hoc casu major ponitur difficultas ad dispensandum, ut ex Thesauro de Pœnit. v. Abortus in fine notat P. Syrus Dilucidat. part. 2. cap. 4. pag. 271. & 275. Item si alias obtinuit similem dispensationem à S. Pœnitentiaria ob simile delictum, debet id exprimere in nova supplicatione: quia ni id expresserit, dispensatio concessa ei non suffragatur, ut tradit idem P. Syrus ibid. pag. 271. subdens propterea executorem Litteræ debere quoad hæc prius interrogare pœnitentem.

Respondeo ad II. probabilius videri quod non; tunc quia ipse erat inhabilis ad Beneficia, cum hoc fuit ipsi collatum, ut expresse constat ex præfata Constit. *Effrenatam*, ubi Pontifex loquens de Clerico, qui concurrat aliquo ex prædictis modis ad procurationem abortus, inquit, *omni clericali privilegio, officio, dignitatibus, & beneficiis. . . ipso facto privatur, & fit in futurum inhabilis ad ea suscipienda;* tum quia erat excommunicatus, & sic inhabilis ad Beneficia etiam ex hoc alio capite, ut decrevit Innocentius III.